

**INSCRIPTIONES LATINAE
GERMANORUM POLONORUMQUE REGIBUS WETTINENSIBUS DEDICATAE.**

Ut inscriptiones Latinae Germanorum Polonorumque regibus Wettinensibus longe lateque dedicatae in conspectum vestrum veniant, auditores benevoli, hanc oratiunculam haud invisa confeci. Vos ideo, ut benevoli audiatis, oro atque obsecro et salvere iubeo.

Commentatio mea, quae studio inscriptionum in Saxonia Poloniaque inventarum nitur et oritur non solum eas, quae in sepulcris statuisque insculpta sunt, enumerat, verum etiam paucis verbis personae descriptae facta vitamque exponit. Cum Lipsiae studiorum causa commorarer, usa sum, occasione nacta et beneficio et fortuna. Eo enim tempore est mihi data opportunitas, ut studia mea apud universitatem Dresdensem perficerem. Ibi virium contentio, eademque magni laboris, fuit, ut innumerae inscriptiones, quae perlongum temporis spatium a principe Alberto usque ad regem Fridericum Augustum III confectae sunt, recte legerentur et abbreviationis explicarentur. Inscriptiones eiusdem generis non solum in Saxonia, exempli gratia Dresdae, Fribergae Misniaeque sed etiam in Polonia, id est Varsoviae Cracoviaeque, inventae sunt. Photographematis factis libellus, ex quo singulas imagines deprompsi, compositus est. Postea verba addita sunt, quae vitam atque res a regibus gestas breviter explicant.

Primum igitur dissertura sum de historia domus regiae Wettinensis vel de spatio eius temporis. Deinde breviter de aedificiis, in quibus inscriptiones collocatae sunt, agam. Simpliciter quoque dicam quod ad personas per inscriptiones illustratas pertinet. Ante oculos vestros quaedam exemplaria per photographemata ostendentur.

In principio dissertationis meae historia Wettinensis in lucem effertur. Domus Wettinensis principis oriunda est ex hodierna Saxonia. Marchiones, principes electores regesque Wettinenses Saxoniam-Anhaltinum, partem Thuringiae Lusatiamque, circa octingentos annos regnaverunt. Anno millesimo tricesimo secundo esse coeperunt marchiones Lusitaniae, anno millesimo undenonagesimo marchiones Misniae, anno millesimo quadringentesimo vicesimo tertio principes electores Saxoniae et anno millesimo octingentesimo sexto reges Saxoniae. Anno millesimo quadringentesimo octogesimo quinto divisio paternae hereditatis inter fratres Ernestum Albertumque facta est. Progenies prioris lineae Ernestinae atque in alienas civitates Europae, exempli gratia in Britannia, Belgia, Bulgaria aut Lusitania, regnarunt. Progenies recentioris lineae Albertinae duodevicesimo saeculo bis Rei Publicae Polonorum praefuerunt.

Quattuor volumina clarissimarum inscriptionum sepulcralium ab sexto decimo usque ad undevicesimo seculo ostenduntur. De principe Henrico, principe electore Ioanne Georgio I, principe electore regeque Poloniae Friderico Augusto et rege Ioanne narratur.

I. EXEMPLUM PRIMUM

HENRICUS, quem Pium cives vocabant, lucem anno millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio aspexit, anno vero millesimo quingentesimo quadragesimo primo mortuus est. Princeps Saxoniae et marchio Misniae fuit. In ecclesia cathedrali Fribergae multae et praecipuae, omnibus rationibus id est longitudine, sententiae et narrationis genere, inscriptiones inventae sunt. Inscriptiones Latinae in aedicula sepulcrali, quae a Iohanne Maria Nosseno formata est, Henrici titulum, eius vitae tempus factaque, verba sunt e libris divinis deprompta, eius virtutes atque perpetuam laudem immortalemque gloriam praedicant. Inscriptio, litteris capitalibus facta, in conspectum venit.

Supra statuum:

**HEINRICVS ALBERTI F(ILIVS) FRIDERICI II (SECUNDI). / ELECTORIS NEP(OS) DVX
SAX(ONIAE) LANDG(RAVIVS) / THVRI(NGIAE) MARCHIO MISNIAE, NATVS AN(N)O / CHRIS(TI)
M. CCCC. LXXIII. D(IE) XVI M(ENSE) MARTII.**

Infra statuum:

**IN SOLIDA ADMINISTRATIONE PROVINCIAE / DIVINO BENEFICIO POPVLVM SVVM
AFFE=/CIT, DVM EMENDATIONEM DOCTRINAE / ECCLESIASTICAE INSTITVIT: / QVOD FACTVM
CVM HOMINES IMPROBI / NON AGNOScant, / INGRATI PARVI FACIANT, / TEMERARII
CONTEMNANT, / AETerno TAMEN ANGELORVM ET SANC=/TARVM MENTIVM TESTIMONIO
NON / CAREBIT, VITAM MORTALEM CVM / SEMPITERNA COMMUTAVIT. A(NNO) CHR(ISTI) /
M. D. XLI. D(IE) XVIII. M(ENSE) AVGV(S)TI**

II. EXEMPLUM SECUNDUM

IOANNES GEORGIUS I, anno millesimo quingentesimo octogesimo quinto in mundum ingressus est, anno autem millesimo sescentesimo quinquagesimo sexto de vita decessit. Princeps elector Saxoniae fuit. In ecclesia cathedrali Fribergae capuli plumbei, ad saeculum septimum decimum pertinentes fuerant. Illis temporibus finis veram regum imaginem reddendi factus est, sed multa verba, e libris divinis deprompta, apud lapidem memoriae locum suum habent. Parte autem in superiore operculi capuli medio loco Christus cruci affixus insigneque generis collocati sunt. Infra ornamentum aliquod in forma chartae cum

marginibus volutis viri informationes, quae ad Ioannem Georgium I attinent, tradit. Illae lingua germanica gothico more scriptae sunt. Ut ceterae, haec quoque inscriptio praeter ornamenta, quae iam invenimus, verba esse utroque librorum sacrorum testamento deprompta refert.

Supra insigne generis:

SCOPVS VITAE MEAE CHRISTUS

Christus cruci affixus:

I(ESVS) N(AZARENVS) R(EX) I(VDAEORVM)

III. EXEMPLUM TERTIUM

FRIDERICUS AUGUSTUS, quem Validum cives appellabant, natus anno millesimo sescentesimo septuagesimo, obiit anno millesimo septingentesimo tricesimo tertio. Sicut Fridericus Augustus I, princeps elector Saxoniae notus, sicut Augustus II, rex Poloniae. Res tam rara est, ut reliquiae regis Augusti tribus locis depositae sint. Cor eius, ipsius regis voluntate, in Cathedra Sanctae Trinitatis Dresdae in capsula atra collocatum est. Media in urbe statua Augusti Aurei Equitis posita est. In ecclesia cathedrali, in Capitolio Cracoviensi sita, multa sepulcra regum Polonorum stant. In pristina domo regia Polonorum Cracoviae capulus cum ossibus regis situs est. In Ecclesia Transfigurationis Domini Varsoviae viscera regis condita sunt. Urna apud trium tabularum basim, quae ex aere colore marmoreo facta est, stat. Prope corona aurea imminet regis urnae. Supra urnam pyramis procera ex atro marmore facta est.

Inscriptiones Cracovienses:

- 1. Fridericus Augustus I. / Elector Saxoniae, / Rex Poloniae, / natus Dresdae / 12. Mai 1670. / Humana reliquit / Cracoviae d. 1. / Februarii 1733.**
- 2. D(eo) O(ptimo) M(aximo) / Augustus II Rex Poloniae / Elector Saxoniae.**

Inscriptiones Varsovienses:

- 1. MORTE / QUIS / FORTIOR / GLORIA ET / AMOR**
- 2. NATUS / ANNO MDCLXX. DIE XII MAII / REGNAVIT / ELECTOR SAXONIAE ANNOS XL / REX POLONIAE ANNOS XXXVI / MORTUUS / ANNO. MDCCXXXIII. DIE I. FEBRUARI**

**3. D(EO) O(PTIMO) M(AXIMO) / HIC / CARISSIMA ET VERE PATERNA VISCERA /
AD POSTERITATIS AMOREM / ET PIETATIS OBSEQUIUM / RECONDUNTUR.**

Inscriptiones Dresdanae:

In aureo equite:

**1. FRID(ERICO) AVGVSTI II / DVCIS SAXON(IAE) S(ACRI) R(OMANI) I(MPERII) ELECTORIS /
NEC NON REGIS POLONIAE CVRA / PATRI ET ANTECESSORI / POSITVM / A(NNO) D(OMINI)
MDCCXXXVI**

**2. FRID(ERICUS) AVGVSTVS I. / DVX SAXONIAE S(ACRI) R(OMANI) I(MPERII) PRINCEPS /
ELECTOR ARCHIMARSCHALCUS / IDEMQVE REX POLONIAE / AVGVSTVS II.**

IV. EXEMPLUM QUARTUM

IOANNES, qui sub Philalethes nomine translationes egit, anno millesimo octingentesimo primo in lucem editur, anno millesimo octingentesimo septuagesimo tertio animam reddit. Rex Saxoniae fuit. In Cathedra Sanctae Trinitatis Dresdae capuli aurei principum electorum regumque Saxoniae atque regum Poloniae / a conditore principe electore Friderico Augusto II rege Poloniae Augusto III, qui obiit anno millesimo septingentesimo sexagesimo tertio, usque ad utlimum regem Saxoniae, Fridericum Augustum III, qui mortuus est anno millesimo nongentesimo tricesimo altero, collocati sunt. Capuli ii inscriptionibus Latinis, quae nomina, titulos, dies ortus mortisque, non numquam alias vitae descriptiones, sententias atque frequenter verba e libris divinis deprompta, ornati sunt.

Inscriptiones in Cathedra Sanctae Trinitatis:

**1. IOANNES / REX • SAXONIAE / NATVS / DIE • XII • DECEMBRIS • MDCCCI SVCESSIT •
FRATRI • SVO / FRIDERICO • AVGVSTO • II • REGI / DIE • IX • AVGVSTI • MDCCCLIV /
SEMISAECVLARIA • SOLLEMNIA • NVPTIARVM / CVM • REGINA / AMALIA • AVGVSTA /
CELEBRAVIT / DIE • X • NOVEMBRIS • MDCCCLXXII / PIE • OBIIT / DIE • XXIX • OCTOBRIS •
MDCCCLXXIII**

**2. Bonum certamen certavi / cursum consummavi fidem servavi / In reliquo reposita est
mihi corona / iustitiae quam reddet mihi / Dominus in illa die iustus iudex. / Epist. II
St. Pauli ad Timotheum / Cap. IV Vers: VII et VIII**

Hoc loco progressio formae sententiaeque inscriptionibus sepulcralibus dicatae est breviter traditum. Iter nostrum per historiam inscriptionum traditionis servato temporis ordine ad finem pervenit. Maxima pars opusculi photographemata solutionemque omnium abbreviationum, quae ad lapides memoriae, capulos statuasque inventae sunt, breviter summatimque obtulit. Hoc modo plene universaliterque gravissimae litterarum formae illustrantur.

Pro animi vestri benevola attentione gratias, quas possum maximas, ago.

Katarzyna Głogowska, Poloniensis.